

Band XI., Nr. 5095, Seite 112-114

König Adolf von Nassau bestätigt dem Edlen Konrad von Weinsberg alle seine alten Privilegien, freit ihn und seine Erben von Landgerichten und seine Untertanen von fremden Gerichten und verpfändet ihm 1500 Pfund von den Reichseinkünften in Heilbronn, Hall, Wimpfen, Mosbach, Sinsheim und sonst innerhalb der Landvogtei Schwaben.

Oppenheim, 1298. Januar 18.

Adolfus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani [imperii] fidelibus gratiam suam et omne bonum. Ad hoc in solio regie dignitatis constituti sumus divinitus, ut cunctis subiectis et fidelibus imperii ad augmentum honoris et comodi sui regalis munificentie benivolentiam prebeamus, tunc quoque salubriter et iuste presidere nos credimus, dum quod iustum est et honestum devote postulantis elargimur et eosdem in suis iuribus favorabiliter conservamus. Illis tamen ampliorem gratiam ac maioris gratie plenitudinem dignum ducimus impertiri, qui a nostris et sacri imperii servitiis nullis adversitatum turbinibus avelluntur. Hinc est, quod nos benignius attendentes preclara devotionis obsequia, que nobilis vir Conradus de Winsperg fidelis noster dilectus sui que progenitores et antecessores ab antiquo tempore pre ceteris Romano exhibuerunt imperio tam fideliter quam devote et qualiter adhuc istis temporibus idem Conradus pro nobis et imperio non desinit exponere res et personam, idcirco ipsum non immerito amplexantes ulnis gratie libertatis^a et beneficentie specialis ad eius votivam instantiam omnia privilegia donationes feoda libertates iura gratias et obligationes sibi ac suis antecessoribus a divis imperatoribus et regibus Romanorum prerogative memorie donata concessa et concessas approbamus innovamus ratificamus et presentis scripti patrocinio confirmamus. Ad hoc etiam nos ex plenitudine regie potestatis eundem Conradum de Winsperg et omnes suos heredes ac successores imperpetuum duximus specialiter libertandos ita quod exnunc litteris presentibus legitime statuimus decernimus et ordinamus, quod iidem Conradus de Winsperg sui que heredes et successores in aliquibus iudiciis secularibus aut provincialibus vel coram aliquibus iudicibus in eisdem iudiciis presidentibus cuiuscunque sint vel fuerint dignitatis auctoritatis preeminentie vel potestatis et quocunque nomine censeantur ubicunque constitutis de cetero parere aut super quocunque facto causa vel negotio respondere minime teneantur aliquibus personis cuiuscunque status vel condicionis existant, nisi

^aOb verschrieben für *liberalitatis*?

II

voluntarie non choacti nec citati in aliqua speciali causa ad tempus ibidem se offerant responsuros. Concedimus etiam prefatis Conrado suisque heredibus et successoribus plenariam potestatem, quod ipsi vel eorum alter non obstante dicta sua libertate valeant et possint convenire ad iudicia et iudices predictos et pretacta omnes et singulos eis iniuriam aut violentiam facientes quando et quotiens ipsis videbitur expedire, et per hoc nolumus nec intendimus eis in dicta sua libertate aliquod imposterum preiudicium generari, sed semper volumus ipsam nostram gratiam et libertatem in suo robore permanere, prout superius est expressum. Mandamus tamen et volumus, ut sepe dicti Conradus sui heredes et successores solummodo in curia regali aut imperiali coram nostris vel successorum nostrorum in imperio vicariis aut iudicibus ibidem auctoritate nostra pro tribunali presidentibus iuri pareant ac per se vel eorum legitimum procuratorem exhibeant et faciant omnibus ipsos impotentibus iustitie complementum. Super hoc ad humiles ipsius Conradi de Winsperg preces statuimus per presentes, quod deinceps omnes et singuli sui burgenses castrenses cives et opidani et suorum heredum in castris opidis et villis ipsorum nunc et in futuro commorantes ab aliquibus personis aut iudicibus secularibus extra iudicium suum ad iudicia^b extranea provincialia compelli non possint quoquomodo, quamdiu ipsi parati sunt coram ipsorum dominis aut eorum advocatis vel scultetis stare iuri et querelantibus facere quod dictaverit ordo iuris. Et si vero, quod absit, contra premissa vel aliquid premissorum ex quacumque causa et quacumque auctoritate aliquid imposterum factum vel attemptatum fuerit scienter vel ignoranter publice vel occulte in iudicio vel extra iudicium, hoc de nostra auctoritate regia ipso facto decernimus irritum et inane et legitime reputabimus pro non facto. Insuper tenore presentium recognoscimus et ad universorum notitiam volumus pervenire, quod nos antedicto Conrado de Winsperg in quindecim milibus librarum Hallensium bonorum et legalium existimus obligati, quas in nostris et imperii legitimis necessitatibus pro nobis exposuit exceptit et in se recepit, prout idem Conradus publice probavit rationabili computatione ac legitimo et laudabili testimonio coram nobis. Et quia paratam pecuniam non habemus ad presens nos eidem Conrado et suis heredibus pro dicta pecunie summa dedimus deputavimus assignavimus et presentibus assignamus mille et quingentas libras Hallensium bonorum singulis annis in festo beati Martini de omnibus sturis iuribus redditibus proventibus et obventionibus procedentibus de civitatibus et opidis nostris et imperii in Heiligbrunnen in Hallis in Wimpina in Mosebach in Sünneshein et aliis villis nostris et imperii ibidem in provincia et advocatia existentibus per eum et suos heredes tenendas colligendas recipiendas et sine impedimento ac contradictione cuiuslibet

^bVorlage *iudicicia*.

III

in usus suos proprios libere convertendas tamdiu, quousque prefato Conrado de Winsperg vel suis heredibus de supra dicta peccunie summa videlicet de quindecim milibus librarum Hallensium per nos aut nostros in imperio successores integraliter fuerit satisfactum, et de perceptis medio tempore in sortem principalem minime computandis, superflua tamen parte dictarum sturarum iurium reddituum proventuum et obventionum de dictis civitatibus opidis et villis procedentium, quam nobis et imperio specialiter reservamus, dumtaxat excepta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre confirmationis approbationis gratie ac libertatis nec non donationis seu assignationis paginam infringere vel ei in ausu temerario contraire, quod si facere presumpserit, gravem nostre maiestatis offensam se noverit incurrisse. In quorum omnium premissorum testimonium et evidentiam pleniorum hoc presens scriptum exinde fieri mandavimus et sigilli nostre maiestatis appensione muniri.

 Datum in Oppenheim, XV. kalendas Februarii, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione XI., regni vero nostri anno sexto.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.
 An roter geflochtener Seidenschnur das beschädigte Majestätssiegel.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HZA Neuenstein

Signatur/Titel des Originals:

GA 15 Schubl. A Nr. 1

Editionen:

Hanselmann: Landeshoheit Haus Hohenlohe, Beilage, S. 133. UB Heilbronn, Bd. 1, S. 23, Nr. 59.

Regesten:

JOHANN PETER VON LUDEWIG: Reliquiae manuscriptorum omnis aevi diplomatum ac monumentorum, ineditorum adhuc [...], 12 Bde., Frankfurt am Main und Leipzig [ab Bd. 10 Halle/Saale] 1720-41. , Bd. 12, S. 563 (Hall fehlt). Württembergische Geschichtsquellen, Bd. 5, S. 23, Nr. 59. Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 2, S. 333, Nr. 945. Mosbacher Urkundenbuch. Stadt und Stift im Mittelalter, bearb. von Konrad Krimm unter Mitarbeit von Hans Schadek (Veröffentlichungen der Kommission für geschichtliche Landeskunde in Baden-Württemberg), Elztal-Dallau 1986, S. 21, Nr. 33.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Oppenheim

Aussteller:

Adolf; von Nassau, König

Ortsindex:

Heilbronn Wohnplatz (1773)
 Heilbronn, HN
 Mosbach Wohnplatz (6089)
 Mosbach, MOS
 Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)
 Schwäbisch Hall, SHA
 Sinsheim Wohnplatz (6553)
 Sinsheim, HD
 Weinsberg Wohnplatz (2238)
 Weinsberg, HN
 Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852)
 Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN
 Wimpfen im Tal Wohnplatz (1853)
 Wimpfen im Tal, Bad Wimpfen, HN